

V E T E R A .

115

ganter a priscis Christianis elaborata, quæ in ejusdem Templi Porticûs pariete inserta nunc visitur.

Eodem Pontifice ad ripam citeriorem Tiberis sub Colle Aventino in hortis Ducis Sfortiæ columna solida, atque pulcherrima ex Alabastrite cotonei coloris, altitudine pedum circiter quinque, diametro fere semipedali. Nunc in Museo Capitolino. Alia item columna ex Alabastrite onychino striata, quam Eminentissimus Cardinalis Alexander Albanus nunc possidet. Duorum insuper Craterum ad aquam salientem excipiendam fragmenta, ex Alabastrite, in quorum altero rosa, in altero amnis expressus. Integer denique Crater alius ipse pariter ex Alabastrite, in cujus medio Medusæ caput. Hæc omnia Eius Cardinalis Albanus coemit. Locus ille fuisse creditur, in quem peregrina marmora olim e navibus exponerentur, & ob idipsum fortasse *la marmorata* nunc dicitur.

Eodem in loco Basis, in cujus lateribus insculpti Pileus Phrygius, Tibiæ duæ conjunctæ, Pedum cum Crotalis, In facie vero Navis, supra quam Cybele velato capite sedens. Navim ipsam illigato proræ fune Matrona & ipsa capite velato, & stolata e ripa trahere conans. In inferiori parte incisum

MATRI DEVM ET NAVI SALVIAE
SALVIAE VOTO SVSCEPTO
CLAVDIA SYNTHYCHE
D D

P 2

Ma-